DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE Appetitu Ciborum læſo.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J. U. D.
in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NECNON,

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

CHRISTIANUS BOHEMUS, LIPS. MISNICUS.

Ad diem [illegible] Martii, loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

14
1185.g.16
14
K

[illegible]

VIRIS

D. CHRISTIANO BOHEMO,

NEC NON

D. JOHANNI BOHEMO,

Eccleſiæ Dei apud Burckersdorffenſes & Neukirchenſes Paſtoribus vigilantiſſimis fideliſſimiſque, Illi, Parenti, Huic, Patrueli, ſuis, de ſe optimè ſemper meritis, in æternæ Filialis gratitudinis, obſequiique nunquam morituri teſſeram,

Has ſuas Inaugurales Theſes ſacras eſſe voluit,

CHRISTIANUS BOHEMUS.

Lipſ. Miſſnicus.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Appetitu Ciborum læſo.

THESIS I.

Supervacuum mihi omninò videtur clariſſimæ argumenti mei notiones Etymologico Homonymico & Synonymico obſcurare conatu. Rem ipſam potius aggredior, in quâ ne nobis oriatus difficultas, ante omnia mihi explanare incumbit per definitionem cauſalem, quid ſit *Ciborum Appetitus.*

II.

Per Ciborum Appetitum intelligo ſenſationem illam, quæ per certum fibrillarum motum in orificiô ſtomachi excitatur, ut per eum anima de ſumendô cibô moneatur; ad conſervationem conjunctionis animæ cum corpore à Deô inſtitutus.

I I I.

Cauſam hujus motûs *proximam* ſtatuo eſſe fermentum ventriculi, vel ſuccum acidoſalinum ex vaſis Gaſtricis, ſtomachi glandulis & nervis collectum, & ad interiorem cavitatem delatum. [illegible] ſalivalem lympham per œſophagum in Ventriculum tendentem, item partes reſiduas Ciborum in rugis ejus hærentes, quæ facilè ſuô fermentô ſuccorum illabentium fermentativam vim adaugent. Ad quod non parum etiam confert fotus, ac calor partium Ventriculum circumjacentium.

I V.

Stomachô igitur Vacuô ſucci hi exolventes acidoſalini ſenſim in illô congregati, cum propter Ciborum abſentiam temperari vel infringi nequeunt, exhalationibus ſuis copioſis tunicas fibraſque ſtomachi vellicant, unde hæc ſenſatio, quæ *Appetitus Cibi* eſt, oritur.

V.

Hoc fermentum peccat aliquando, idque vel *Quantitate* vel *Qualitate*. *Quantitate* peccat, quando nimium augetur, & hinc Appetitus ille enormis oritur, quem *Famem Caninam* dicimus. Vel quando nimis paucum vel nullum influit, qui morbus Anorexiæ nomine venit.

V I.

Qualitate peccat fermentum, quando rerum ad nutritionem non facientium, imò ſanitati quam maximè adverſantium, Appetitum producit, qui morbus *Malacia* vel *Pica* audit.

V I I.

Cum igitur in ægrotô obſervamus nimium rerum acidarum, imò & dulcium uſum vel potius abuſum, ſanguinemque vel per antecedentes morbos, vel labores æſtivos nimios, ſpiritibus deſtitutum, quodque ægrotus de dolore ſtomachi valdè conqueratur, ſæpius ructus edens acidiſſimi odoris; ſeceſſuque quandoque vermes ejiciens, quique fœtorem anhelitûs motûſque convulſivos patiatur, nulloque modo cibis exſatiari poſſit, quamvis ſæpiùs ſemicoctos cogatur evomere, cum Ciborum tandem nauſeâ, & totius corporis imbecillitate, quid aliud exinde poſſumus inferre quam illum ægrotum *Fame Caninâ* laborare?

V I I I.

Eſt enim *Fames Canina* Appetitus Cibi urgens & fermè inexplebilis, ex nimiâ fermenti acidoſalini copiâ originem ducens.

IX.

Cauſa tam hujus morbi, quam ſymptomatum, ex ſignis ſupradictis ſatis patet. Quippe quæ non alia, quam acidaſalina ſangninis conſtitutio & humorum in Ventriculo hærentium, eſſe poteſt. Hanc autem magnus ille & exceſſivus dulcium acidorumve uſus, labores & morbi, per diſſlationem partium ſubtilium, optimè poſſunt producere, cum annexâ Symptomatum ſerie.

X.

Quamvis verò morbus hic per ſe valde ſit periculoſus, propter immanes vomitûs, qui ordinariò ex nimiâ tenſione ventriculi eum ſequuntur, ut & tandem Ciborum ob nauſeam, Hydropem, Cœliacam paſſionem: Longe tamen illum periculoſiorem facit, frequens Lypothymia, per quam citiſſimè extinguitur ignis vitalis.

XI.

Ergo imprimis laborandum eſt in cauſæ ablatione, quæ tota in eductione & correctione acrimoniæ illius acidæ conſiſtit: Interea demulcendum eſt Cardiacis Lipothymiæ ſymptoma.

XII.

Inter Medicamenta evacuantia primum locum videtur obtinere Vomitorium. Hippocrates laudat Vinum generoſum & Aromaticum calidè ſumptum. Exhibeatur ſubinde pulvis Oculorum Cancri Coralliorum, & alia acidum imbibentia. Vitetur aciditas in cibo & potu, ſomno & quieti largius indulgeat ægrotus.

XIII.

E contrario in ægrotis ſæpè obſervare licet corporis totius gravitatem, amarorem in ſalivâ cum ſtomachi dolore & non infrequenti Vomitu, pallorem faciei, faſtidium & abſtinentiam Ciborum vel etiam delicatiſſimè præparatorum; quorum ſæpè ne nomen quidem ferre poſſunt. Signa ſanè, ex quibus neceſſariò morbum, qui *Anorexiæ* nomine venit, poſſumus colligere.

XIV.

Eſt autem *Anorexia* morbus, conſiſtens in cibi ad conſervationem vitæ ſufficientis abſtinentiâ, ex diminutô Ventriculi fermentô ortus.

XV.

Cauſa hujus morbi eſt fermentum ſtomachicum diminutum vel planè ablatum. Quod fit aliquando ex abſentiâ particularum acida-

rum in ſanguine. Vel ex nimiâ ſanguinis viſcoſitate quæ per vaſa gaſtrica ſubiens ventriculum, inhabilis eſt ad debiti fermenti conſtitutionem. Non rarò etiam optimus quidem influit, ab halitibus autem bilis omninò infringitur & aboletur. Item à materiâ quadam Viſcidâ in rugis Ventriculi ſtabulante, & fermentô ſibi propriô fermentum ſtomachicum impediente. Taceo paralyſin vel vehementes obſtructiones in ramulis nervi ſextæ conjugationis exiſtentes. Item defluxiones pituitoſas ex cerebro, vitium uteri, ſuppreſſos menſes, phrenetidem, maniam, alioſque morbos Melancholicos; non obſtante, quod humor Melancholicus appetitûs parens apud *Galenum* audiat. Item dolores graves, narcoticorum crebriorem uſum, exulcerationes & abſceſſus in corpore, cum multis aliis, huic morbo ſufficientem cauſam ſuppeditare poſſe nemo dubitat.

XVI.

Tragicam ſæpius *Prognoſin* de hoc morbô facere cogimur, aliquando mitiorem, pro ratione ſcilicet cauſarum hujus morbi vel aliarum Circumſtantiarum. Quippe hic affectus in morborum initiis ſi contingit, magni momenti non habetur; maximi verò, quando accidit in morbi declinatione.

XVII.

Cum igitur cauſæ tam variæ hunc morbum producere queunt, ſolus ille ad curandum valebit, qui valebit ad cognoſcendum. Cauſarum enim cognitio cuique vel parum ſollicito indicabit ejus ablationem, & fermenti ſtomachici reſtitutionem.

XVIII.

Hoc poteſt fieri in humoribus nimium viſcidis, & ubi vires conſtant per *Vomitorium* ex vitro Antimonii vel Mercurio vitæ. Si virium proſtratio id recuſat, Apozema exhibeatur ex Ligno Guajaco, Radic. capparum, Chinæ, Cort. Tamariſci, & vero nitri Spiritu, huic ſingulis quaternis diebus ſuccedat purgatio, ex Reſinâ Scammonii, Mercurio dulci, vitroque Antimonii per inferiora purgante. Magni etiam uſus eſt Elixier Paracelſi cum acido. Omnibus tamen palmam præripit Sp. Nitri verus, indies ad guttas aliquot aſſumptus, ut pote qui tam cauſæ bilioſæ quam pituitoſæ reſiſtit.

XIX.

Hactenus conſideravimus fermenti exceſſum & defectum, & qui

qui morbi exinde proveniant. Videamus jam, ex quibus fermenti depravatio nobis manifeſta fiat, & quinam morbus exinde poſſit concludi.

X X.

Hujuſmodi ægrotis magna libido oritur, lapides, carbones, vitra, calcem; imò aliquando carnem humanam, venena & plura alia ad nutritionem parum vel nihil facientia, copiosè ingerere. Frequenti vexantur expuitione, & magnas ſæpè patiuntur anxietates, quæ ſigna nobis ſatis manifeſtant morbum, cui *Pica* nomen eſt.

X X I.

Pica enim eſt rerum inconſuetis alimentis alienarum copioſus & valdè jucundus Appetitus: quem depravatio fermenti ſtomachici ſolet producere.

X X I I.

Cauſa hujus morbi eſt fermentum ſtomachi valdè depravatum, quod peculiari ſuâ acrimoniâ vehementem illum Appetitum parit, ortum ex peculiari humore pravô cum maſſa ſanguinis circulante, & inſuetô ſuô motu anxietates animi producente.

X X I I I.

Subjectum hujus morbi eſt uterque ſexus & omnis ætas. Fœminæ tamen hoc morbo magis affliguntur, & inter has imprimis gravidæ, & quæ obſtructos menſes patiuntur. Inter mares pueros, propter debilitatem judicii, hoc morbo vexari certum eſt. Referunt *Marcellus Donatus & Cœlius Rhodiginus* hiſtorias de duobus pueris, quorum alter araneas, [illegible], cum magna voluptate capiebat & devoravat.

X X I V.

Quamvis autem ſæpiſſimè ſine noxâ hæc inſueta videantur aſſumi, nihilominus conjectu facile eſt, ſi diu continuetur, ejuſmodi morbum tandem exinde poſſe oriri, multoſque alios, hominis ſanitatem planè deſtruentes; cujus generis eſt cacochymia, hydrops, ac inſolubiles obſtructiones.

X X V.

Studendum ergo corruptionem fermenti reſtituere, acrimoniam illam humorum nimiam temperantibus; quod optimè poſſe fieri puto Apozemate aliquo incidente vel ſale Volatili Aromaticô. In non gravidis & pueris purgatio poteſt inſtitui, quâ abſtinemus in

gra-

gravidis, quia hic morbus ordinariò illas p[illegible] menſibus infeſtat. Præcipuè mens firmetur ſolidis ratiociniis, ne tam facile ſe Appetitibus tradat, quibus jungi poteſt frequens commemoratio Ciborum, quos olim ægrotus habuit in deliciis. Inter purgantia Tinctura Hellebori nigri, ope S. V. tartariſati extracta, præſtans & potens eſt remedium, quâ ſolâ feliciter ſæpius hic morbus ſolvitur.

FINIS.